

Heinrich Rahn Friedrich Clatte

## **Disputatio Iuridica De Dotibus**

Rostochi[i]: Kilius, 1638

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766231518>**

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18



DISPUTATIO JURIDICA  
De  
**DOTIBUS,**

QUAM

*Divinâ favente gratiâ*

Decreto & autoritate Ma-  
gnifici & Amplissimi Jctorum  
ordinis in celeberrimâ ad Varnum  
Academiâ

SUB PRÆSIDIO

*Viri Amplissimi, nec non Consultissimi*

Dn. HENRICI Rabnen/ J. U. D.

& Professoris, Publici ejusdem Facultatis  
p. t. Decani spectabilis, Præceptoris ac  
Ornatoris sui æternum colendi

*Publica ventilationi subijcit*

FRIDERICUS CLATTEN

Cellâ Lunæb.

*In auditorio majori XI. Kl. Januar. horis à Sept. ma-  
tutiniâ. Anno 1638.*


ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILII, Acad: Typogr.

Anno MDCXXXIIX.

DISPUTATIO JURIS  
DOTIBUS

Decretis & auctoritate Ma-  
gistri & Amplissimi Juris



DR. H. E. A. ...  
& Professor ...  
p. l. Decretis ...  
FRIDERICUS CLAUSIUS

ROSTOCK  
Typo WITCOLMII ...  
MDCCLXXXIII



# Cum bono DE o.



*Arias variorum populorum de dotibus tra-  
 ditiones reperire habemus. Et prudenter  
 in quibusdam Rebus publicis certis dotes sunt  
 circumscriptæ legibus, ne magnitudine ea-  
 rum domus exhauriantur; Et ut dote mo-  
 dicâ severius matrimonia sua coërceant  
 viri; teste enim Hor. 3. od. 24. Dotata regit virum Con-  
 jux. Et dotes dapsiles, secundum Plautum in Aulu-  
 lar. in servitum viros redigunt. Quin, ut idem loqui-  
 tur in ead. fab. Dotatæ mactant & malo & damno vi-  
 ros. Hinc apud Venetos quum sibi matrimonio copularit pa-  
 tricius plebejam, dos 2000. aureos non excedit. testibus Bodino  
 ac Strabone. Apud Gallos olim ut Cesar lib 6. belli Gallic. pag.  
 m. 107. scribit, Viri quantas pecunias ab uxoribus do-  
 tis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis æstima-  
 tione factâ cum dotibus communicant: hujus omnis  
 pecuniæ conjunctim ratio habetur: fructusq; ser-  
 vantur, uter eorum vitâ superârit, ad eum pars utri-  
 usq; cum fructibus superiorum temporum pervenit.  
 Romani verò licet non ignorarent, amorem honestum solis  
 animis æstimandum, & concordiam conjugalem cuicunq; lu-  
 cro præferendam l. reprehendenda. C. de Inst. & subst. neq; doti-  
 bus set affectu contrahi matrimonia l. jubemus ii. infin. pr. C.  
 de repud. Nov. 117. c. 3. tamen de dote ejusq; jure multas leges &  
 sanctiones in sui juris volumina redegerunt. Quarum non  
 postrema sunt l. 19. de rit. nupt. & l. si pater. 7. C. de dot. prom. ubi  
 dicitur omninò paternum esse officium dotem dare pro snâ  
 A 2 progenie*



progenie, atq; l. i. ff. Sol. matrim. hac exhibet in fin. verba: dota-  
tas esse feminas ad sobolem procreandam, replendamq; liberis  
civitatem maximè est necessarium. Idem statuit Jus Can.  
quando in c. nullum. 30. qv. 5. ex Concilio Arelatensi refert: Nul-  
lum sine dote fiat conjugium. Inutilem igitur illam legem a-  
gnosimus, quam observare coacti Spartani ex instituto Ly-  
curgi: Ille enim virgines sine dote nubere iussit, ut uxores eli-  
gerentur non pecunia Iust. lib. 3. & Plutarch. in vitâ Ly-  
curgi. Quo enim modo onera matrimonij maritus ferre po-  
test nisi ipsis serviant dotes. Cesset etiam Solonis lex, qui ex  
matrimonio cæteras dotes sustulit, tres tantum vestes & qua-  
dam parvi emta, aliud præterea nihil nuptam secum impor-  
tare iubens, ut tradit Plut. in vitâ illius. Verùm enim verò  
qui ducere uxores volunt caveant sedulo; ne quod Juven.  
Sat. 3. reprehendit in Romanis: protinus ad censum de mo-  
ribus ultima fiat questio. Quod quidem vitium passim adeò  
inolevit, ut nihil ferè verius, quam illud Plauti: hic cum famâ  
facile nubitur, dum dos sit, nullum vitium vitio vertitur.  
Nolo autem in amplum de hac re differendi campum me al-  
tius immittere, quum quod institutum meum id non admit-  
tat, tum quod mei non sit muneris. Hoc saltem dico, ma-  
terie, de qua prolocutus sum, dotalis cognitio hodiè admodum  
utilis & necessaria est, ut ex cotidianâ experientiâ videre  
licet. Paucis igitur thesibus eam includere & publico ex-  
mini proponere certum apud me est, Ne autem iusto sim-  
tongior, rem ipsam aggredi fas esse existimo. Summo omnium  
rerum Moderatori ac Arbitro humili ac devotâ mente suppli-  
cans, ut meam cymbam, qua alta relinquit, & litus legit, di-  
vine clementie favonio gubernare ac dirigere velit.

#### THESIS I.

**D**Otis vocabulum latiùs sumtum significat quod nobis præci-  
puum vel à Deo, vel natura, vel ab hominibus conceditur. Unde

Lea

10  
Lea, quum parere jam defuisset, & nihilominus Dei clementiâ sextum  
ex Jacobo filium peperisset, inquit: Deus me dotavit dote bonâ *Gen.*  
*30. vers. 20.* & Ovidi. Ornata est dotes exhibet ipsa suas. item dos for-  
mæ, oris &c. dicitur. & ita bona animi ac corporis dotes appellare  
solent latine loquentes.

II.

Sic Icti ferramenta & alias res fundis inservientes dotes prædiorum  
nominare solent *l. 2. §. 1. l. 20. §. 1. & 3. ff. de instr. vel instr. legat.*

III.

Jure etiam Canonico dotes Ecclesiarum vel Sacellorum dicuntur  
*c. sicut. Extr. de consecrand. Eccles.*

IV.

In strictâ autem significatione significat illud, quod à muliere  
marito datur matrimonii ferendi ergò, Germanice *Mitgift* /  
*Brautshah* / *Chestewr* / *Heurathsgelt* oder *Gut*.

V.

Hac de dote acturus quum sim pluribus in subsequentiis pagellis,  
operæ pretium erit, definitionem prius tradere, quàm ad alia  
transeam, ut lector statim intelligat in principio quid sit res illa, de  
quâ mihi est sermo.

VI.

Licet verò omnis definitio in jure civili periculosa, & rara sit,  
ut non subverti queat, uti loquitur *Ulpian in l. omnis 202. de R. 7.* &  
in illâ jam posteriori loco propositâ significatione variâ passim re-  
periantur à *Dd.* datæ definitiones dotis: tamen sepositis illorum tra-  
ditionibus, definitio eam cum *Cujac. lib. 5. obs. c. 4.* Quod sit pe-  
cunia, quæ ob matrimonium marito uxoris nomine datur.

VII.

Rectius me facere puto quando per vocabulum pecuniæ de-  
finitio (pecuniæ enim significatio generalis est, & non solum nume-  
ratam pecuniam: sed omnes res tam soli quàm mobiles & tam  
corpora quàm jura continet *l. rei appellatio 5. l. pecuniæ nomine 222.*  
*de V. S.*) quàm si cum Bartolo & aliis, quod sit jus statuerem.

IIIX.  
Nam in jure nostro passim dostradi *l. de divisiones, ff. solut. matr.* numerari *l. si pater. 4. ff. eod. dari l. 17. §. f. ff. de reb. autor. judic. possid.* item vindicari &c. dicitur, quod de juribus seu re incorporali verè prædicari non potest. Ut & dotis actio non juris uxorii, set Rei uxoriæ actio ab Imperatore dicta est; ut constat *ex t. t. C. de rei uxor. actio.*

IX.

Nec est quod aliquis dicat aliud esse dotem, aliud rem in dotem datam, idq; exinde probari posse; quòd res in dotem dati sæpissimè in jure nostro dicatur. Dotis enim vocabulum ut in jure nostro plerumq; ipsam rem *l. si pater 4. ff. solut. matr. §. l. 24. ff. de jur. dot.* sic quando rei qualitatem *l. 46. in pr. l. 4. ff. de jure dot.* aliquando etiam titulum & causam transferendi denotat *t. t. ff. §. C. pro dote §. per traditionem 40. in fin. Inst. de rerum divis.*

X.

Dividitur in profectitiam & adventitiam *Ulp. in frag. tit. 6. §. 1. l. 4. C. de collat. l. un. §. 1. in med. C. de rei uxor. act.*

XI.

Profectitia dicitur quæ à patre de bonis vel facto ejus profiscitur *l. profectitia 5. ff. de jure dot.*

XII.

Sive filia adhuc sit in factis parentis constituta, sive non. Siquidem dotem pro filià emancipatà datam profectitiam nihilominus dotem esse nemini dubium est: quia non jus potestatis, sed parentis nomen dotem profectitiam facit, ut *Ulp. in l. profectitia 5. §. si pater 11. ff. de jur. dot.* loquitur.

XIII.

Nec interest, an parens ipse dederit dotem, an alius ejus nomine. Sive igitur parens dedit dotem, sive procurator ejus, sive jussit alium dare, sive, quum quis dedisset negotium ejus gerens, parens ratum habuerit, profectitia dos est *d. l. profectitia, §. 1.*

XIV.

Unde sequitur, si curator furiosi, vel prodigi, vel cujusvis alterius dotem dederit, similiter dotem profectitiam esse *l. profectitia §. 5. 3.*

Ita

## XV.

Ita & illa quæ à prætore ex bonis patris vel ab hostibus capitis, vel à latronibus oppressi filia in dotem datur, profectitia rectè dicitur *d. l. §. 4.*

## XVI.

Constituere autem dotem tenetur parens filia in potestate sua existenti *l. 19. ff. de rit. nupt.* ut, si ei eam dare non vult, cogi à magistratu possit. Paternum enim officium est dotem pro sua progenie dare. *l. 7. vers. neq; enim C. de dot. promiss.*

## XVII.

Adeò ut si filius familias mutuam acceperit pecuniam, ut eam pro sorore sua in dotem daret, pater de in rem verso actione teneatur *l. 17. ad Sct. Macedon.*

## XVIII.

Quoniam autem interdum filia locuples esse potest, disputant de eo *DD.* an etiam parens illam dotare debeat. Affirmativam multi amplectuntur, ut *Menoch. Gail. & alij.* Nos verò negativam cum *Duar. Conan. & Mich. Craffo.* defendimus.

## XIX.

Quid autem juris in filia emancipata paupere? Quidam statuunt quòd pater eam teneatur dotare. Sed an id stare possit alibi dubito: pietati quidem concedo convenire, pauperem filiam etiam à patre emancipatam dotari; præsertim si locuples sit, idq; commodè facere habeat. Sed patrem cogi legum autoritate non video. Non enim omnè id, quod quis pietatis ergo facere debet, idem præcisè facere cogitur. Multa siquidem & si honestè præstentur, tamen ex liberalitate non ex obligatione descendunt *l. 12. §. 3. ff. de adm. & pe. vic. tut. l. 34. ff. de neg. gest. l. ult. C. de dot. prom. l. 14. C. de his qui accus. non poss.* Sic inter se opponuntur negotii gestio, quæ obligationem parit; & pietas, affectio ac misericordia quæ obligationem non admittunt in *l. 14. §. 7. ff. de rel. & sumtr. fun.*

## XX.

In dubium etiam vocatur, num pater dotare teneatur eam filiam, quæ debito modo consensum patris requisivit; ille autem noluit consentire, sed semper negotium protraxit, & filia interim nupta est cum viro honesto & digno? Nos affirmativam ut humaniorem

niorem approbamus cum *Andr. Gail. lib. 2. obs. 95. n. 10. & Zas. in S. faerat 29. n. 33. Inst. de action.*

XXI.

Quæritur de filia naturali ex concubinâ? Et hanc dotari posse affirmo: sed quod pater cogendus sit dotare, id leges non dicunt, in *Nov. enim 89. c. 12.* patri datur potestas, ut possit liberis naturalibus ex concubinâ susceptis certam quantitatem donare vel ultimâ voluntate relinquere: sed hæc facultas quum ipsi libera sit relicta, sequitur eum cogi non posse ut portione aliquâ bonorum donet, aut dotet filiam naturalem.

XXII.

Solent quoq; quætere de spuria, an & illi dos danda sit à patre? Ego supervacaneam illam quæstionem arbitror, si verbum spurii specificè sumatur de eo, qui vulgò conceptus est, nec patrem habere intelligitur, quum is incertus sit §. 12. *Inst. de Nupt.* Quod si spuriam filiam indistinctè intelligere quis velit, cum *Palæot. de spur. c. 49. & 50. Covar. part. 2. de matr. §. 6. n. 15.* & aliis, eam, quæ extra matrimonium nata est, recurrendum erit ad decisionem præcedentis quæstionis.

XXIII.

Filia etiam quæ ex complexibus aut nefariis, aut incestis, aut damnatis processit, nullo modo dotanda est, quum nec naturalis sit filia nominanda *Nov. 89. c. ult.*

XXIV.

Pater orthodoxus nullâ necessitate adstringitur filiæ suæ, quæ facta est hæretica, dotem dare *l. cognovimus 19. C. de heretic.*

XXV.

Filiam deniq; quæ turpiter & cum flagitiosâ fœditate vitam egit, & jam mutatis moribus honestè nubere cupit, an pater dotare debeat, quæstionis est? Ego ut affirmem humanius arbitror: licet pœnitentiæ modus, turpitudinis qualitas, & exinde nota patri & familiæ illata meritò trahantur in considerationem.

XXVI.

Solent quidem sine distinctione disputare an dotanda sit filia turpiter vivens: & pro negativa hujus controversiæ allegatur *l. 19. C. de inoff. test. Nov. 115. c. 3. §. 11.* Verùm hæc controversia inanis est & nul-

& nulla: quia turpiter vivens quā talis non cogitat de nubendo: & in textibus citatis non de danda dote, sed de exheredando quæritur.

XXVII.

Licet etiam pater tempore sponsaliorum vel nuptiarum non fecerit mentionem dotis: nihilominus tamen tenetur filix dotem constituere secundum personarum conditionem, & patrimonij sui quantitatem; propterea quod pater cogitur ad duo: ut 1. conditionem nubendi quærat. 2. ut dotem constituat. *l. capite. 19. ff. de rit. nupt.*

XXIX.

Jam adventitia dos erit describenda: Ea est, quæ non à patre, sed à quovis alio, sive sit propriè extraneus, sive propinquus, qui & hic dicitur extraneus, detur *Ulp. in fragm. tit. 6. §. 1.*

XXIX.

Circa propinquos hoc loco quæritur: An mater debeat filix dotem dare sicut pater? Scire debemus regulariter pro filia dotem dare eam non teneri, nisi ex magnâ & probabili causa, vel lege specialiter expressâ, adeo ut ne pater ex bonis maternis invitâ matre illam dotem constituere possit *l. neq. mater. 14. C. de jur. dot.*

XXX.

Magnam autem ac probabilem causam communiter statuunt, si pater sit inops, & filia sine dote nubere haud valeat.

XXXI.

Causa lege specialiter expressa existimatur, si mater sit hæretica. Hæc enim *l. 19. §. 1. C. de hæret.* obligata est filix orthodoxa & catholicæ fidei constituere dotem. Sed hoc correctum videtur per *l. Gazaros. C. de hæret. & c. vergentis. Extr. de hæretic.* quibus constitutionibus omnium hæreticorum bona indistinctè confiscantur. Posset tamen probabiliter defendi, quod ex bonis confiscatis aliquid pro dote liberorum decidi debeat: quemadmodum olim ex bonis damnatorum portiones liberis relinquebantur, *l. 7. §. 2. de bon. damnat.*

XXXII.

Est & Dd communis sententia quod frater locuples sorori suæ consanguineæ pauperi de jure civili dote succurrere debeat, quod quidem nullâ lege expressè confirmatur: attamen probatur

B

per

per l. 12. §. 3. in fin. ff. de adm. tut. ubi soror consanguinea opposita  
uterinæ, quam non posse dotare tutorem ibi dicitur, quia id sit libe-  
ralitatis: atque adeo à contrario sensu consanguineæ dotem dare  
non libertatis simplicis, sed simul necessitatis est.

XXIII.

Avus paternus non maternus etiam neptem dotare tenetur. l.  
6. ff. de collat. l. cognovimus 19. §. f. C. de heret.

XXIV.

Quoniam ejus est dotem dare, in cuius libri sunt potestate. l. 19.  
ff. de ritu nupr. Est autem neptis ex filio in potestate avi, §. ult. Inst.  
de patri potest. Et hinc simpliciter avi paterni dotantis mentio fit  
in l. 33. de pact. l. 79. h. e.

XXV.

Quæ de matre locuti sumus, ea & de avo materno intelligen-  
da esse affirmamus, arg. l. Cajus Sejus. 45. ff. solut. matr.

XXVI.

Sunt, qui & matrem egenam à filio divite dotandam esse asse-  
rant. Nos autem negativam tanquam veriolem agnoscimus per  
l. tutor. 13. §. 2. ff. de adm. & peric. tutor. l. 1. §. 4. C. de tut. & ra-  
tion. distr.

XXVII.

Referunt huc quidam dotem, quam tutor pupillæ & curator  
minori constituunt, sed malè: quia dum de bonis adultæ dotem pro-  
mittunt, nudum præstant ministerium, adeoq; ipsa puella dotem  
dare intelligitur. Et hi dotem pro aliis dare dicuntur, qui de sua pec-  
cuniam exponunt.

XXVIII.

Nullo obstante jure possunt etiam extranei, si modò velint,  
dotem puellæ dare, l. ult. C. ad sc. Vellejan.

XXIX.

Sufficiat dixisse hactenus de personis, quæ dotem dare vel pos-  
sunt, vel tenentur; sequitur tractatio de rebus, quæ in dotem dan-  
tur.

XXXX.

Dantur in dotem omnes res, quæ in commercio sunt, sive sint  
immobiles; v. g. prædia tam urbana, quam rustica, l. dotale. 13. de  
fund. dot. l. 1. §. 7. vers. exact. 10. C. de rei uxori. act.

Sive

## XXXXI.

Sive mobiles & se moventes, ut & cæ quæ pondere numero & mensurâ constant, l. in rebus. 30. C. de jur. dot.

## XXXXII.

Sive sint corporales sive incorporales, ut usufructus l. 7. §. 2. l. 78. ff. h. t.

## XXXXIII.

Præterea in dotem dantur tam propriæ res, quam alienæ, l. jure 9. §. 1. ff. l. 13. C. h. t.

## XXXXIV.

Dantur tam æstimatæ, quam inæstimatæ, l. plerumq; 10. in pr. & §. 1. 4. §. 6. & seqq. ff. h. t.

## XXXXV.

Quæritur, an res, pecuniâ dotali comparatæ, sint dotales? Respondeo, videri hujusmodi res dotales l. 54. b. t. adeò ut in subsidium uxori utilis vindicatio earum concedatur: cæteròquin dotales res non efficiantur l. ff. sol. matrim. l. 12. ibiq; Sichard. C. h. t. Cuj. §. obs. 29.

## XXXXVI.

Quæstio satis exagitata hic occurrit, an feudum sine Domini consensu in dotem dari possit? Regulariter, respondemus, quæstionem illam esse negandam ex textu in §. 1. donare, 2. Feud. Qualiter olim pot. feud. alien. & in t. de prohib. feud. al. per Frideric. vel quia dotis datio est quædam alienatio, vel quia propter impensas necessarias jus aliquod in eo maritus sibi vindicare posset, Myns. 4. obs. 86. Zas. de feud. tit. de feud. alien. n. 7. & 8. Secus est in feudo feminae proprio. Hoc in dotem dare non prohibetur. 2. Feud. 13. & 17. vers. Hac marito. Wurm. pract. obs. t. de feud. obs. 19. Zas. & Myns. dict. locis.

## XXXXVII.

De jure Saxonico feminae, si non possunt elocari ex bonis hereditariis, tum ex bonis feudalibus, non tantum à fratribus, sed & aliis feudi successoribus, judicis superioris arbitrio & cognitione dotentur Landrecht sub rubrica Von theilung der Brüder und Mitgift der Schwester auß dem Leben.

B 2

Potro



III.

Porro dotis datio est vel definita vel indefinita. Definita est quum certa species vel quantitas datur.

II.

Indefinita dotis constitutio est, quando non demonstratur certa species vel quantitas dotis, sed dos simpliciter promittitur, l. 69. §. 4. h. t.

I.

Hic notandum, quod ipsa mulier omnia sua bona possit in dotem dare, l. 72. ff. de jur. dot. l. 4. eod. C. Gaill. 2. obs. 82.

LI.

Sed quaeritur an dote non constituta bona uxoris omnia, si maritus ea tacente & patiente muliere possideat, iisq; utatur, censeantur dotalia, an paraphernalia? Ego posterius approbo cum Menoch. §. praesumpt. 8. Gaill. 2. obs. 82.

LII.

At quid dicendum est de bonis quae uxor sine dotis denominatione tradit marito: an illa in dotem dedisse vel potius paraphernalium loco voluisse praesumi debet? Respondeo, & haec bona ob ingens praesudicium uxoris in dubio hoc casu paraphernalia bona merito censeantur.

LIII.

Mulier ad secunda vota transiens & liberos ex priori matrimonio habens, non omnia sua bona marito in dotem constituere, sed tantum saltem ad illum transferre potest, quantum quisq; liberorum accepit. l. 6. C. de sec. nup.

LIV.

Et si forsitan inter illos inaequalitas testamento facta sit, tunc habeat maritus secundus aequalem cum illo filio vel filia, cui minima pars relicta est, portionem. d. l. hac edictali 6. C. de secund. nupt.

LV.

Quid si primo marito, cui certam dotem mulier dederat, defuncto, uxor alii nubat dote nulla expressè constituta, an non in secundo matrimonio prioris dos tacite iterata videtur? Ita videtur. Gaill. 2. observ. 82. n. 7. Mihi negativa placet, tum quod mulier liberum

rum arbitrium habeat, plus vel minus in dotem constituendi, tum  
quod conditio & qualitas mariti exigat fortè pingviorem dotem.

LVI.

Ad constitutionem dotis ut veniamus, scire debemus quod dos  
constituatur (constituere hoc loco ambiguum est & quandoq; pro-  
missionem vel alium modum ex quo nascitur actio; aliquando i-  
psam actualem traditionem designat) vel inter vivos vel in ultima  
voluntate.

LVII.

Inter vivos constituitur dos variis modis, v. g. traditione quæ  
vel vera est, cujus exempla in *l. 10. C. de pact. l. 46. ff. de jur. dot.* vel fi-  
cta, qualis est patientia, *l. i. pr. de Usufr. l. 1. §. fin. ff. de serv. rustic. prad.*

LVIII.

Item stipulatione, *l. 20. l. 27. l. 63. ff. t. b.* quæ stipulatio, quamvis  
nō solenniter semper interveniat, fingitur tamen hodie semper inter-  
venisse, *l. un. C. de rei ux. act.* item pacto legitimo, *l. 6. C. de dot. prom.*  
cujus tamen legis nulla amplius utilitas & necessitas est, postquam  
per *l. unic. C. de rei uxor. act.* actio ex stipulatu simpliciter intro-  
ducta est.

LIX.

Acceptatione quoq; dos constituitur, quum debitori marito  
acceptum feratur, dotis constituendæ causâ, *l. promittendo. 41. §. 2.  
ff. b. t.* Hic modus constituendæ dotis aliàs fieri dicitur remissione  
debiti. Nec minus per delegationem dos constitui potest, *l. 56. in pr.  
de jur. dot.*

LX.

Ultima quoq; voluntate dos constituitur, ut in casu *l. 48. §. 1. ff.  
de jur. dot. l. 71. §. 3. de cond. & demonstr.*

LXI.

Sic quando parens mortis suæ causâ dotem promiserit, valet  
promissio *l. 76. d. l.*

LXII.

Finis dotis est, ut sublevetur maritus in oneribus matrimonii  
preferendis *l. 56. §. 1. ff. & l. 20. C. b. t.*

LXIII.

Ut autem sciamus quâ actione maritus dotem constitutam &  
nondum traditam persequi possit, sciendum est, quum stipulanti  
promissa est, quod ex stipulatu competat actio.

## LXIV.

Est etiam marito hypothecaria actio, quâ jure pignoris persequitur bonorum possessionem ejus qui dotem promissit *l. 1. §. 1. vers. nihil enim prohibet. l. C. de rei uxov. action.*

## LXV.

Dos autem promissa tunc tandem rectè dos dicitur, petiq; actione potest, si nuptiæ fuerint subsecutæ: & licet nuptiæ sine dote rectè valeant, tamen dos absq; eis esse nequit *l. 3. ff. l. 76. in f. h. t.*

## LXVI.

Est & controversia inter Dd. an ob dotem promissam & nondum præstitam uxorem repudiare & domo ejicere possit maritus? respondemus quòd non, cum *Wesemb. hic n. 6. in Parat. moti partim textu in l. ult. pr. & §. 1. C. de repud. partim ratione: quia maritus, si promissis non satisfiat, actionibus legitimis experiri debet.*

## LXVII.

Nèque diversum suadet aut exigit *l. ult. C. ad Sc. Vell. cujus sententia non alia est; quàm quod ob fidem non servatam rixis, & dissidiis, atque inde repudio causa præberi possit: quod & cap. per vestras 7. in fin. Extr. de donat. int. vir & uxov. confirmatur.*

## LXVIII.

Pertinet ad effectum dotis datæ, quod fructus ejus ad maritum, qvnm subeat onera matrimonij, pertineant, *l. dotis 7. l. 10. §. 3. l. 32. l. 47. de jur. dot.*

## LXIX.

Quæri solet, an maritus ultra vires dotis in uxorem impendere teneatur. Id quod affirmandum ex *Jur. div. Gen. 2. v. 23. & seq. Ephes. 5. vers. 28. & seq. & humano arg. l. 13. C. de negot. gest.*

## LXX.

Fructus ante nuptias percepti augent dotem, vel in dotem convertuntur nisi aliud actum fuerit, *l. 7. §. 1. l. 47. ff. h. t. l. 6. in fin. ff. solut. matr.*

## LXXI.

Post nuptias verò contractas à muliere vel alijs perceptos, etiam

etiam vir soluto matrimonio repetere potest, *l. si fructus 8. C. de don. int. vir. & uxor. l. 2. C. de pact. convent.*

LXXII.

Rebus æstimatis in dotem datis omnis accessio & causa ad maritum pertinet *l. 10. C. b. inæstimatis* verò in dotem datis ea tantum ad virum pertinent, quæ in fructu sunt: quibus annumerantur foetus pecorum, *l. 10. §. 3. h. t. l. un. §. 9. C. de rei uxor. act.*

LXXIII.

Non autem accessiones prædiorum dotalium, *d. l. 10. §. 1. ff. b. non soboles servorum dotalium, d. l. §. 2. & l. quum post. 69. §. ult. ff. b. non ususfructus accedens nudæ proprietati l. 4. ff. b. non ea, quæ servi acquirant aliunde, quam ex re mariti, d. l. 1. §. 9. C. d. rei uxor. act.*

LXXIV.

Si mancipia in dotem æstimata maritus accepit, & pactum, conventum factum est, ut restituatur eodem pretio, manet partus eorum apud maritum, *l. si mancipia. 18. ff. b. l. 66. §. 3. ff. sol. matr.*

LXXV.

Præter hæc de effectu & naturâ dotis est, quod rerum æstimatarum in dotem datorum periculum ad virum, qui hic quasi emtor est, *l. un. §. 9. in f. C. de rei uxor. act. l. 10. §. 4. in fin. h. t. spectat*, ita ut & usu mulieris deteriores fiant periculo viri, *l. 10. l. 18. ff. b. d. l. 1. §. 9. in f. C. de rei uxor. act.* v. g. si vestem in dotem dederit æstimatam, eamque utendo attriverit, nihilominus maritus æstimationem ejus præstat, *l. 10. pr. h. t.*

LXXVI.

Simili modo rerum in dotem datorum, quæ pondere, numero, mensurâ constant, periculum ad virum pertinet, *l. res in dotem. 42. ff. b.*

LXXVII.

Si tamen res æstimatæ in dotem datæ ante nuptias perierint, mulieris periculum, seu damnum est, *d. l. 10. §. 5. h. t.*

LXXIX.

Idem obtinet, si eâ moram faciente in traditione res illæ in rerum naturâ esse desierint, *l. 14. ff. b. t.*

Rerum

## LXXIX.

Rerum inæstimatarum iu dotem datarum periculum non viri, sed mulieris est, l. plerumq; 10. pr. & §. 1. ff. h.

## LXXX.

Est & illud de dotis natura, quòd maritus in rebus inæstimatis dolum & levem culpam præstat. l. contractus 23. d. R. J. l. in rebus 17. ff. h. l. etiam filios. 18. §. 1. l. si filios am. 25. §. 1. l. pen. & ult. ff. solut. matrim.

## LXXXI.

Accerrima hìc occurrit illa Interpretum contentio, an maritus rerum dotalium sit dominus, in quâ variæ variorum repertiuntur opiniones. Nobis placet affirmativa ex eo quod rei dotalis habet vindicationem l. 9. C. de rei vindic. quòd res in dotem data mariti esse, in l. 7. §. 3. h. t. & ejus dominium marito quæri dicitur. l. 13. §. 2. de fund. dotal. l. 23. C. h. t.

## LXXXII.

Immo non tantum dotis datione mutari dominium perhibetur, l. 47. §. ult. ff. de pecul. sed etiam ibidem cum modis & causis aliis, ex quibus dominium transfertur, titulus dotis conjungitur. junct. l. 3. §. 1. de publ. in rem act. §. per traditionem 40. Inst. de rer. divis. Est tamen dominium hoc, ut constat, plerumq; revocabile.

## LXXXIII.

Quamvis verò dotis dominum dicamus maritum, non tamen concedimus, quòd indistinctè res dotales possit distrahere: immobiles quippe res, ut fundum dotis loco datu distrahere nequit. l. un. §. 7. & 15. ibiq; Gl. C. de rei uxor. act. pr. Inst. quibus alieni nisi necessitas urgeat alienationem l. 78. §. 4. ff. h. t. vel nisi mulier semel atq; iterum post biennium secundum speciem intercessionum consentiat, Nov. 61. ibiq; Cujac. Idem tract. 8. ad Afric. ad l. 9. ff. de fund. dot.

## LXXXIV.

Neque adhuc repetitus vel bis vel sæpius ille consensus quicquam operatur d. Nov. c. 3. nisi in casu ubi maritus possideat quo satisfacere possit uxori pro re alienata.

## LXXXV.

Nunc de repetitione dotis quædam subiicemus: ubi in considerationem veniunt primo tempus dotis, quando scilicet ea repetitur, secundo personæ quæ repetunt, 3. quâ actione id fieri possit.

Et

## LXXXVI.

Et animadvertendum est, quòd dos vel soluto matrimonio, vel etiam interdum constante eo repetatur.

## LXXXVII.

Constituto adhuc matrimonio dos repeti potest, quando maritus ad inopiam deducitur, *l. si constante. 24. ff. sol. matr. l. ubi. 29. C. de jur. dot. Gail. lib. 2. obs. 84.*

## LXXXIIX.

Veruntamen hoc in casu mulier nullam habet potestatem, res petitas, marito vivente, & matrimonio inter eos consistente alienandi; sed earum fructibus ad tam sui quàm mariti sustentationem filiorumq; si qui ipsi sunt, abutatur, *d. l. ubi 30. C. de jur. dot.*

## LXXXIX.

Set ane jus istud, de quo in th. 87. jam dictum, tribuendum quoq; mulieri, quæ scienter viro nupsit obarato? Variæ ac diversæ de eo passim apud Dd. opiniones reperimus: quidam negativam, quidam affirmativam defendunt. Ego verò existimo negativam in puncto juris veriore, si mulier ante matrimonium plenè cognoverit, & exploratam habuerit viri conditionem, videlicet eum planè esse obaratum & ad angustias patrimonij redactum; quia nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt, *l. 145. de R. J. necq; volenti fit injuria aut dolus, c. scienti. 27. de R. J. in 6to. l. 34. C. de transact.* Facilitati igitur suæ expensum ferre debet mulier, quæ sciens volensq; ejusmodi viro nupsit, *arg. l. 3. in fin. ut in poss. leg. Gail. lib. 2. obs. 84.*

## XC.

Vicina est huic illa ejusdem argumenti quæstio: an maritus ex causa inopiæ restitutam dotem supervenientibus divitiis, repetere possit? Nos partem affirmativam, tanquam æquiorè, & concordia conjugali magis consentaneam sequimur, *Gail. lib. 2. obs. 85. & Ritterb. in Nov. par. 5. c. 5. n. 4.*

C

Constan-

## XCI.

Constante matrimonio dos etiam quandoq; rectè solvitur uxori, necessitate urgente: videlicet quando liberis ex alio viro egentibus, aut fratribus, aut parentibus consulere, vel eos ab hostibus redimere debet, *l. quamvis. 20. ff. solut. matr. l. 73. de jur. dot. A-* llium casum, ubi constante matrimonio rectè recipit dotem vid. *in l. 31. pr. solut. matr.* quando nimirum maritus in metallum damnatur, per quam poenam matrimonium non solvitur, *Nov. 22, c. 8.*

## XCII.

Matrimonio soluto morte mulieris, nisi in contrarium stipulatio intercessit, vel pactum, *l. 6. C. de pact. conv.* dos à patre profecta ad patrem revertitur, *l. 6. h. t. l. 4. C. solut. matr. junct. Ulp. in fr. t. 6. §. 2.* non tantùm si uxor filiafamilias fuit, sed etiam si fuit emancipata, *l. 10. in princ. ff. sol. matr. Ant. Fab. 13. conj. 1.* ubi cum Bach. eum intelligit unicum casum, in quo ait, *l. 71. de Evisct. re-* gredi dotem ad patrem.

## XCIII.

Profectitia dos mortuo patre, qui dedit illam, superstite filia & genero, remanet apud maritum: quia desit esse profectitia morte patris, qui fuit autor dotis, *Ulp. in frag. tit. de dot. 6. §. 2. l. quum patrem. C. de jur. dot. Rittersb. in Nov. par. 1. c. 4. in fin.*

## XCIV.

Verùm an dos profectitia redire debeat ad patrem superstitibus liberis, difficilis est indaginis. Sit ut sit, calculum ego meum addo illis, qui negativam jure nostro veriore existimant, inter quos sunt *Ant. Fab. 13. Conj. 1. Cujac. tract. 6. ad African. ad l. ult. ff. rem rat. habet.* ubi tamen de jure novo hanc opinionem veram esse ait. Licet *Treut. ex Gvid. Pap.* affirmativam per totum orbem terrarum servari dicat *hic th. 9. lit. C.*

## XCV.

Dos adventitia de jure veteri marito superstiti semper (id est, sive extent liberi ex eo marito, sive non, *Rittersb. in Nov. par. 1. c. 4. n. 11.*) relinquitur, si is qui dedit, ut sibi dos redderetur, non sit stipulatus: hoc autem factò, ipse qui dedit dotem, repetit eam. *l. 22. ff. de vel. & sumpt. fun. l. 20. ff. de cond. instit. Ulp. in frag. t. 6. §.*

*l. 6. §. 2. vers. adventitia.* Hujus generis dos dicitur receptitia. *apud Ulp. d. loc. & in l. 31. §. 2. de mort. caus. donat.*

XCVI.

Jure novo contrario modo se res habere videtur, nempe ut si nihil aliud sit actum, dos adventitia penes maritum non remaneat; sed actio ex stipulatione sive expressâ sive tacitâ, quam in casum divortii, sive mortis mariti, uxori Justin dedit, in heredes defunctæ uxoris transmittatur, *l. un. §. illo procul. p. C. de rei uxor. act.*

XCVII.

Quod & obtinet si ipsa mulier dotem dederit, pactâq; sit eam sibi restitui: tum enim heredes mulieris potestatem repetendi ipsam habent, *l. un. §. illo procul. 6. C. de rei uxor. act. l. si mulier s. C. de jur. dot. nisi actum sit, ut maritus dotem lucretur, l. si socrus tua. 18. C. de jur. dot. d. l. un. §. 6. de rei uxor. act.*

XCIX.

Soluto matrimonio vel morte mariti, vel divortio, patris uxoris ipsâ consentiente & profectitiam & adventitiam dotem, si filiam sit mulier, repetit vel ab ipso marito, vel heredibus ejus *l. paterfam. 14. in pr. ad L. Falc. l. Titia. 34. §. qui invita. s. de leg. 2. l. Solut. §. 3. l. non solum. 3. l. si quum dotem. §. eo autem. s. ff. l. 2. & 7. C. solut. matr. jung. Cujac. tract. octav. ad Africanum in l. 34. ff. sol. matrim.*

XCIX.

Emancipata verò seu materfam. sola repetit tam profectitiam dotem, *l. 22. §. 5. solut. matr. l. 71. de Erit. junde th. 92. nisi idcirco divertisset, ut maritum lucro dotis afficeret, & patrem fraudaret, l. 5. de div. & repud. vel contra si vir illi repudium misisset ob id, ut mortuâ eâ dotem potius heredibus ejus, quam patri redderet, l. 59. solut. matr. quam adventitiam, Cujac. de loc.*

C. *de his que in dotem dantur*

Extraneus à se datam dotem stipulatione vel pacto interpo-

C. *de his que in dotem dantur*



sito, ipsemet eam repetit, matrimonio morte vel divortio soluto,  
*l. un. §. accedit ei. 13. C. de rei uxor. act.*

C I.

In restitutionem dotis fructus veniunt & accessiones, quæ  
sc. vel ante vel post matrimonium percepta à marito fuerunt;  
quæq; dicuntur augere dotem, *l. 6. l. u. l. 31. §. f. sol. matrim. l. uti.*  
*§. 9. C. de rei uxor. act.* quæq; dolo ac culpâ mariti rei dotali con-  
tingerunt, *l. 25. §. 1. l. pen. & ult. ff. sol. matrim. l. 17. ff. de jur. dot.* neque  
potest pacisci maritus, ut dotem solummodo præstet, ob utilitatem  
nubentium, *l. 8. ff. de pact. dot.*

C II.

Debet verò dos consistens in rebus mobilibus, aut incorpò-  
ralibus intra annum post solutum matrimonium restitui. Si  
contrà in rebus soli consistat, illicò soluto matrimonio restitua-  
tur, *l. un. §. 7. vers. exactio. C. de rei ux. act. Hart. lib. 2. obs. tit. 30.*

C III.

Interdum quando culpâ mulieris solvitur matrimonium,  
e. gr. si rea sit adulterii, penes maritum remanet non duntaxat dos  
ab uxore data; sed & adventitia, ab extraneo, nullâ pacto vel sti-  
pulatione, mentione factâ redditionis *l. si dotem. 24. C. de jur. dot.*  
*l. consensu. 8. §. hac nisi. 4. C. de repud. Nov. 117. c. 8. vers. si de adulte-*  
*rio. cap. plerumq; 3 ext. de donat. inter virum & uxorem. jung.*  
*Bermond. Choveron. de pub. concubinar. tit. de adulter. n. 41.*

C IV.

Si itaq; ex tali matrimonio liberi sint communes, tunc  
dos ipsis custodiri debet: talibus verò non existentibus libe-  
ris, penes maritum ea remanet. *arg. l. un. in f. C. si dos const.*  
*mat. sol. ful. d. ver. si de adult. Nov. 117. Bermond. Choveron.*  
*d. c. n. 65.*

C V.

An verò ob osculum mulieris dos amittatur, quæri solet?  
Quidam dicunt quod sic, non quidem quod osculum quâ tale id  
operatur, sed quâ inducit adulterii præsumptionem? Attamen  
negativam veriore esse arbitror.

C VI.

Dixi hactenus de restitutione & repetitione dotis, quæ  
triplici

triplici præcipuè distinctione absolvi potest. 1. Distinguendum inter dotem, an sit profectio, an adventitia. 2. Inter personam uxoris, an sit filiafam. an emancipata. 3. Inter modos, quibus solvitur conjugium, an sit divortium, an mors: & hæc rursus an viri, vel uxoris.

CVII.

Præmissâ tali distinctione, ulterius ita statuendum: dotem profectivam emancipata filia petit sola, de quo th. 99. filiafam. petit cum patre, de quo th. 98. mortuâ filiâ sive in potestate sive emancipatâ pater repetit solus, vide th. 92. Dotem adventitiam filia emancipata petit sola, th. 99. in potestate constituta petit cum patre, th. 98. filiâ mortuâ petit, qui eam sibi restitui jure stipulatus est, aliâseam lucratur maritus, de quo th. 95. & 96.

CVIII.

Quæ de conjunctione patris & filia circa dotis repetitionem allata sunt, intellige de jure patris, quod habet in dotis actione. Nam ubi in continenti sibi dotem reddi stipulatus est, omnem in casum agit solus, arg. l. 29. ff. sol. matr.

CIX.

Hic notandum, filiam paciscendo patris dotem repetentis actioni non præjudicare, quo minus jure suo actione dotis experiatur, l. 2 §. 1. ff. sol. matr. ita ut ex factò filia exceptio ipsi opponi nequeat: nisi adjunctâ filia persona experiatur. l. 17. de pact. dot.

CX.

Pacta verò de lucranda dote inter virum & uxorem, uti & statuta: rectè fieri & valere probatur l. un. §. 6. C. de rei uxor. act. l. 9. C. de pact. convent. c. f. Ext. de donat. int. vir. & uxor. Hart. Hartm. Pract. obl. lib. 2. tit. 35. obs. 8. Ritt. in Nov. 97. part. 4. c. 1. n. 8.

CXI.

Jure Saxonico lucratur maritus dotem tanquam rem mobilem, quando in pecunia consistit, Wes. in not. ad Schneid. in §. 28. & aliud. in f. de donat. Diff. jur. civil. & Saxon. lib. 1. diff. 31.

CXII.

Ultimo loco de actione, quâ dos repetitur, aliquid agendum erit. Actio, quâ dotem extraneus repetit, est vel actio ex stipulatu, stipulatione factâ de dote restituendâ; vel actio præscriptis verbis

civilis, pacto dotis dationis adjecto de reddenda ea, *l. un. §. accedit*  
*13. C. de rei uxor. act. l. aviatus. 6. C. de jur. dot.*

CXIII.

Ipsa autem mulier atq; ejus pater, in cujus potestate est, repetunt dotem ex stipulatu, actio licet nulla de dote reddenda intervenerit: translata vid. actione rei uxoriæ in actionem existipulatu, quæ hic bonæ fidei actio est, *d. l. un. §. sed ex si. & §. illo procul dubio. 6. C. de rei uxor. act.*

CXIV.

Præter hanc actionem in personam conceditur mulieri pro repetenda dote rei vindicatio ex constitutione Justiniani, *l. 30. C. de jur. dot.* Item hypothecaria quæ utilior est vindicatione. Hæc non competit saltem rebus dotalibus adhuc exstantibus, *Nov. 91. pr. & c. 1* ex quâ desumpta est *Auth. si quid. C. qui potior. in pign. junct. §. 26. Inst. de rer. div.* Quum illa detur tam exstantibus, quàm consumptis rebus dotalibus, *l. assiduis. §. 1. vers. quum enim ibiq; Giph. C. qui pot. in pign.*

CXV.

Uxor dotis datæ ratione habet privilegium tacitæ hypothecæ in omnibus mariti bonis, quæ tacite sunt uxori obligata pro dotis restitutione, *l. un. §. ut plenius. 1. C. de rei uxor. act.*

CXVI.

Neq; hanc tacitam hypothecam habet uxor tantum ratione dotis in bonis mariti, sed etiam donationis propter nuptias à marito facta uxori in compensationem dotis, *d. l. un. §. 1. C. de rei uxor. act. junct. l. 29. C. de jur. dot.*

CXVII.

Præter tacitam illam hypothecam mulier quoq; habet privilegium prælationis circa dotis repetitionem, *l. assiduis. 12. C. qui pot. in pign.* habet, inquam, mulier ipsa, ejusq; solum liberi, non pater, neq; extraneus, qui pro muliere dotem dedit, & soluto matrimonio eam sibi reddi, stipulatus fuit. *d. l. ibiq; Giph. circa fin.*

CXIX.

Circa hoc prælationis privilegium & illud notandum, quando maritus habuit successivè duas uxores, interq; eas, earumvè liberos

10  
beros oriatur contentio de prelationis jure, quod tunc prior uxor,  
cum quâ maritus fecit divortium, seu mortuâ illâ ejus progenies  
preferatur secundæ uxori, ejusvè defunctæ proli in dote repeten-  
da, non quidem ex jure speciali, sed juris communis dispositione,  
per expressum textum in *Nov. 91. c. 1. Auth. si quid in reb. C. qui pot.  
in pign.*

CXIX.

Neq; dubium est, mulierem ratione hujus privilegii præferri  
omnibus creditoribus mariti, qui aut nullam omninò aut etiam  
tacitam hypothecam habent in bonis mariti, l. 1. §. *Et ut 1. C. de reè  
uxor. ac. jun. th. 117.* Sed queritur, an etiam expressam hypothecam  
anterioriorem habentibus (sine tamen privilegio speciali) præferatur?  
Est hæc admodum dubia quæstio. Negativam intrepidè ample-  
ctitur, *Gail. 2. obs. 25. n. 10.* neq; meminit in Camerâ ab eâ suo tem-  
pore recessum. Contra *Myns. 4. obs. 13.* subscribit affirmativæ, atq;  
secundum eam in Camerâ pronunciari præjudicio ostendit. Ego  
Mynsingero astipulor, atq; affirmantium opinionem puto & texti-  
bus juris, præsertim menti Justiniani in *Nov. 97. c. 2. Nov. 109. ac l. assi-  
duû. 12. C. Qui pot. in pign. & rationibus consentaneam esse, cum  
Coth. vol. 3. Resp. 21. n. 20. & seqq. Bach. ad Treut. de Benef. quib. cre-  
dit. th. 7. lit. B. Giphân. in d. l. assiduû.*

CXX.

Deniq; habet etiâ mulier privilegium hoc, cujus mentio facta th.  
98. in augmento dotis. *Nov. 72. c. arg. l. 1. C. de don. ant. nupt. 26. §. 2.  
ff. de jur. dot. & arg. l. 8. C. eod. Sicbar. in d. l. 12. C. Qui pot. in pignori  
n. 22.* Non verò in dote cauta, & quam dicunt, confessata: sed  
saltem in constituta & numerata. Necesse enim est, si mulier vult  
preferri in concursu creditorum, ut probet realem numeratio-  
nem dotis, nec sufficit confessio mariti de solutione dotis: quia e-  
jusmodi confessio ipsi quidem & heredibus ejus, at non præjudi-  
cat tertio, seu alii creditori, l. si quis. 9. pr. C. de bon. prosc. l. 1. & r. 1. de  
dot. caut. ibiq; *Dd. Gail. 2. obs. 81. n. 1. & 2. Myns. 1. obs. 61.*

CXXI.

Non possum hîc præterire illam magni momenti quæstio-  
nem de tempore hypothecæ dotalis, à quo scil. tempore ea in-  
cipiat,

incipiat, promissa dotis, an numerata, an deniq; contracti matrimo-  
nii. E. g. Cajus cum Seja contraxit an, 1634. Sponsalia, confectoq;  
instrumento dotali promisit sponso octingentos aureos, sequenti  
anno 635. subsecutum est matrimonium, tandem hoc anno 638.  
Cajo numerata dos. Medio autem tempore idem Titius æs a-  
lienum contraxit. Nunc quæritur privilegium mulieris quo  
tempore incipiat locum habere, utrum à sponsalibus & promissa  
dotis, an à matrimonio, an à numeratione? Mihi illorum atridet  
opinio, qui à die nuptiarum seu contracti matrimonii illud inci-  
pere statuunt. Hanc opinionem *Gail. 2. obs. 86. n. 3.* commu-  
nem dicit, eamq; approbat *Aug. Elect. in Nov. par. 2. Const. 24.*  
*ibi dasß von der zeit. jun. Schulz in Synop. Inst. ad tit. de act. l. 11.*

CXXII.

Nec est quod quis objiciat inutilem & frustraneam esse  
hanc quæstionem secundum meam sententiam, in th. supra n5. pro-  
positam: ubi mulierem creditoribus etiam expressam habentibus  
hypothecam præferri dixi. Nam, ut taceam alios hujus quæstionis  
effectus, utile maximè est scire, à quo die mariti bona sint obligata  
uxori dotata. Siquidem ante obligationem illam quæ alienat ma-  
ritus, hypothecam non continentur & potuit ea licitè alienare,

CXXIII.

Corollarii loco lubet eam adjicere quæstionem. An vir pro dote  
à muliere promissa, & mulier pro dote conservanda vel restitu-  
enda à marito ante matrimoniū, vel stante illo fidejussores accipe-  
re queat? Respondeo, fidejussorem & à muliere & à quocunq; dote  
promittente accipere posse, apud omnes, quosquos ego inspexi,  
extra dubium est. Marito verò ut mulieri pro conservanda,  
eiq; vel ejus heredibus restituendâ dote det fidejussores minime  
conceditur *Rub. & t. t. C. Ne fidejuss. dot. ibiq; Giphan. Goed. de cont.*  
*& commit. stipul. n. 368. & seqq. Hering. de fidejuss. c. 6. n. 98. & seqq.*  
Rationes hujus assertionis præbet ipse textus *d. l. 2.* quorum 1. est:  
quia mulier, quæ se ipsa credit suamque personam marito, multò  
magis ei suas res credere debet. 2. Ne perfidiæ suspicio inter conju-  
ges oriatur.

CXXIV.

Neque maritum qui sponte suâ vult dare fidejussorem,  
& ita renunciare *d. t.* audiendum esse, arbitror cum *Cujac. in parat.*  
*d. t. Hering. de fidej. c. 6. n. 156,* Et

## CXXV.

Et hoc, quod jam dictum, de fidejussore qui ante matrimonium vel stante illo constituitur, exaudiendum est. Solutio enim matrimonio rectè pro restituenda dote dari fidejussorem probant per *l. si constante. 24. §. 2. solut. marr. l. 7. in pr. vers. sic mariti. de Except. l. 1. §. 7. vers. cautione videl. C. de rei uxor. et.*

## CXXVI.

Pignus tamen conservandæ restituendæq; dotis nomine rectè uxori à marito datur, *l. 7. §. 6. de don. int. vir. C. ux. l. 17. §. 1. ad SC. Vellei.* Set post concessam tacitam hypothecam in bonis mariti *l. un. §. 1. C. de rei uxor. ad l. ubi adhuc 29. C. de jur. dot. l. 12. C. Qui potior. in pign.* amplius illud dare non necesse existimo cum *Hering. de fidejuss. d. c. 6. n. 128.*

## CXXVII.

Et tantum de nobilissima hac materia pro instituti atque temporis ratione. Figo pedem finioque cum eo, à quo exorsus sum, nempe cum Deo ter Opt. Max. sine cujus numine nihil est in homine, cui sit Laus & Gloria in secula seculorum.

*Ad Dn. Respondentem commensalem  
suum dilectum.*

**H**Æc de dote tui tua lemmata, CLATTE, revelant  
Et genij dotes, ingenijq; decus.  
Servavit multos, multos dos perdidit: ingens,  
Sæpè bonum dose est, flebile sæpè malum.  
At juvat, & prodest dotis cognoscere jura:  
Qui dotes animi frænerat, ille sapit.  
Næ sapit, atq; capit tandem cum fœnore dotem,  
Quam Themis ipsa suis servat amica procis.

*Præses.*

*Dotis*

**D**otis naturam scrutaris, & insimul ipsas  
exponis ingenii tui

Dotes, quas peperit labor atq; industria, quaiq;  
auxit frequens auditio

Doctorem Juris. Sic scilicet itur ad astra  
per aspera & per ardua:

Sic poteris tenuis fortuna extendere pennas  
virtute. Macte jugiter,

Nec, qui subsequitur Juris Legumq; peritos,  
honore defraudaberis.

Johann Getel J. D.

**A**Mice dulcis, corculum juventutis  
Ardentioris igneae vigor mentis

Famaeq; cura quem super profanorum

Sortem superq; frigus imperitorum

Extollit, orbis spem poli q; post sydus,

Non te inficetus obtinet sopor vinculum,

Rubigo crassa mentis, incubus laudum;

Sed ignis acres non domabilis sensus

Inflamat, ac honoris aestuat cura

Tentare vires, ingeni q; sublimes

Periculo probare publico nisus.

Quid congruat, quid fronte pugnet adversa

Dum veritatis lance, discutis pulchre,

Dotesq;, jura injuriasq; quas monstrant,

Cum RHANII solvis dotesq; sub nutu,

Dotes

Dotesq; mentis ingeniq; thesauros  
Varnó recludis, Arcticoq; testaris  
Mundo, Necartibus dolisvé concedis  
Pugnantium; retundis acer imbelles  
Ictus, nec obsistendo defatigari  
Hostes, & obsistendo vincier gaudes,  
Hostes potentes; quippe calle regali  
Laudem capescis, & peritiã cassos  
Contemnis, Iros sordidosq; Therfitas,  
Laurumq; nubibus propinquiis natam  
Sortire vultu, sed negas humi. Qualis  
Interritum pectus ferocis Alcidae  
Permóvit ardor inclytæ decus laudis  
Non per quieta bella, sed cruentatas  
Strages & incertos necisq; vitæq;  
Inter mereri terminos: ubi demens  
Euristæiq; livora speræq; Junonis  
Eduxit hydram, protulitq; monstrum  
Tagi Tyrannum, beluamq; freudentem,  
Fortuna constat. Perge Hiantijs pñis,  
Themistocleo perge fortiter scuto  
Tutarier dotes; brabæa vincenti  
Dosa ampla ponet, & nepotibus seris  
Dabis videndas mentis intimæ dotes,  
Sic providæ satis probatus Astrææ,  
Non inqvilinus verna, nec peregrintis,


Sed




Sed municeps Pindi sacraeque; Pirenes  
Ferrj per ora gesties virum; donec  
Noctem dies diemque; nox polo trudet:

*Ica amico ac pop. suo dilect. gratul.  
accin.*


OTTO SONNEMANNUS,  
Cella Lunab.







the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiæ se infere-  
 re, sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 dem familiæ, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 Anno 1615. vagabundus quidam homo cõ-  
 suetudinem Phocam, Palatinum Constanti-  
 nopolitanum, & ex familia illustri Græcorum  
 jactans, adjumeto intercessionũ, quas  
 impetraverat, in plurimorum prin-  
 cipalium, & civitatibus ingentem pecuniæ  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 ses, anno 1629. Mens. Martio fœminæ cui-  
 dam, ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine à Nobilibus pecuni-  
 am poenam temporalis relegationis in-  
 ferunt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
*sequenti num. 41. adducit exem-*  
*plum assumpto nomine Advocati cujus-*  
*dam publicè jactaverat, quem postea*  
*Senatus virgis coedi, & exilio*  
*condemnavit & huc exempla relata à Valers*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-  
 nentem suam mutat, & se pro alio suppo-  
 nit, ut apud Historicos aliosq; scripto-  
 rum inter quæ notissimum est illud Plau-  
 ti in forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut è bello rever-  
 sus concubuit. Plura vide apud *Johannem*  
*Corac.*

B 3

Corac.